

1797

N^o 12 a a w.

1645, 3
10

DISPUTATIO JURIDICA
De

USUCAPIONIBUS,

Quam

AUSPICIO SS. TRIADIS.

Consensu & Auctoritate Magnifici Nobilissimi & Amplissimi Jctorum ordinis in florentissima LL. Nutrice Salana.

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO
AC CONSULTISSIMO.

DN. RUDOLPH-WILHELMO
Krauß / Jcto Famigeratissimo, Aulæ Vinar.

Consiliario Saxonico gravissimo, Professore Publico celeberrimo,
nec non Curia Provincialis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ
Assessore eminentissimo, Præceptore ac Promotore
suo summa animi observantiâ ætatem colendo.

Placido examini subjicit

CHRISTOPHORUS KÖCHLERUS,
Salf. Thuring.

In Auditorio Jctorum
Ad diem Decemb.

JENÆ E calcographéo BLASI LOBENSTEINS,
ANNO M.DC.XLV.



1952

11





In nomine Domini nostri Jesu Christi ad
omnia consilia omnesq; actus feliciter
progredimur. l. 2. princ. C. de Offic.
Præf. Prætor. Afr.

THESIS I.



Missis ulterioribus ambagi-
bus statim cum Modestino Usu-
captionem (a) definimus, quod
sit adjectio domini (b) per con-
tinuationem (c) possessionis tem-
poris lege definiti (d)

(a) Dicta ab usu & capio, quod rem capiamus usu l. 30. (a)
S. 2. l. 44. S. 2. ff. de Usurp. & Usucap. l. 1. C. de Usucap. pro her.
Wesemb. parat. b. t. n. 2. & Inst. eod. Schneid. Inst. b. t. n. 5. Myns.
ad rubr. eod. n. 2. hoc est, possessione vel quasi acquiramus l. 115.
ff. de V. S. ita ut permanens sit penes nos, l. aliud est capere 71.
ff. de V. S. l. non videtur ff. de R. J. Unde etiam dicitur posses-
sione capere pro usucapere l. 4. pr. l. 7 S. 2 ff. pro emptore. (b) (b)
l. 3. ff. de usurp. & usuc. Wesemb. parat. n. 3. Vult. 1. Jurisp. Rom.
71. n. 2. Gædd. ad l. 109. de V. S. n. 1. Dissentiunt Duarenus ad b.
t. ff. c. 1. Cujacius in d. l. 3. & notis ad Ulpian. fragm. tit. 19. S. 7.
qui cum Ulpiano malunt eam definire ademptionem quam
eum Modestino adjectionem domini. Sed utrumque rectè,
nec ideo d. l. 3. corrigenda & pro adjectione adeptio reponen-
da. Adjectio enim dici potest respectu initii & principii, qua-
tenus possessori dominium, quod antea non, sed solam rei

1954

possessionem habuit, adjicit & quia similis est alluvioni. Nam sicuti hæc paulatim & latenter incrementum agris adfert, §. *præterea 20. Inst. de R.D.*: Ita & possessio illa, per quam usucapio procedit, paulatim dominium progressu temporis nobis adjicere videtur. Unde nondum usucapione perfectâ is, qui usucapit, quodammodo pro domino habetur, & rem quasi suam vindicat actione publiciana §. *namq̄, Inst. de Act.* Adeptio verò respectu effectus & finis, quod per eam adipiscatur dominium possessor, & quidem plenum, justum & perfectum. *Harpp. ad princ. Inst. h.t. n. 7.* Ex quibus patescit, adjunctionem & adeptionem domini contraria non esse, sed de eodem simul rectè prædicari, licet aliò atque aliò respectu. *Hunn. in resol. Juris Civ. lib. 2. tr. 3. quest. 1.* Et sanè quid frequentius, quàm ut Authores in eadem re explicanda aliis atque aliis verbis utantur? Quinimò si locus alteruter corrigendus, Ulpianus potiùs ex Modestino quàm Modestinus ex Ulpiano emendandus esset; siquidem possessor non statim dominium acquirit & adipiscitur, sed possessioni demum taciturnitate & silentiò veri domini, nec non completo legitimo tempore firmatæ adjicitur. *Hillig. in Donell. Enucl. lib 5. c. 5. lit. c.* (c) *d. l. 3. & l. 20. ff. de Usurp. & Usuc. §. diutina. Inst. h.t.* (d) §. 1. *Inst. h.c. l. 3 ff h. t. Vult. d. c. 71.* Unde suffragium temporis dicitur *l. 24. ff. de don. inter vir. & uxor.* de quibus infra latius dicendum erit.

Thef. II.

Dividitur usucapio vel præscriptio (a) ratione temporis in triennem (b) quadriennem (c) decennem, vicennem (d) tricennem, quadragenam & centenam quæ & immemorialis dicitur (e)

- (a) (a) Sublata nempe hodie illa de jure veteri differentia inter Usucapionem & Præscriptionem *l. un. C. de Usucap. transf. pr. Inst. de Usucap. de quare vid. DD. ad d. L. un. Hillig.*

in

in Don. Enucl. lib. 5. c. 4. lit. b. Treut. Disp. 22. th. 1. lit. b. (b) Qua (b)
 res mobiles hodie usucapiuntur pr. Inst. de Usucap. l. un. C. de
 usucap. transf. quæ olim erat anhalis d. princ. b. t. (c) Quæ com- (c)
 petit Fisco adversus privatum vel privato etiam interdum ad-
 versus Fiscum. Fisco si ab hoc venditæ fuerint res alienæ,
 quarum dominus postmodum repellitur exceptione §. fin.
 Inst. h. t. l. 1. C. de quadrienn. præscript. Privato qui rem ex bo-
 nis vacantibus Fisco nondum nunciatis quadriennio posse-
 dit, tunc enim Fisco nullam ampliùs potest ei movere quæ-
 stionem l. 10. ff. de divers. & temp. præscript. l. 1. C. de quadrienn. (d)
 præscript. (d) Quarum illa est rerum immobilium inter præ-
 sentes: hæc rerum immobilium inter absentes princ. Inst. h. t.
 l. un. C. de Usucap. transf. Præsentem intelliguntur hîc, qui in
 eadem provincia domicilium habent durante Usucapionis
 tempore, etiam si res usucapienda alibi sita sit l. fin. §. sancimus.
 C. de præscript. long. temp. Provincia verò eadem est, quæ
 unius præsidis Jurisdictioni subest, etsi plures contineat civi-
 tates. DD. in d. l. fin. Schneid. Inst. h. t. n. 4. Sed hodie turba-
 tis provinciarum limitibus præsentem dicimus, qui eundem
 habent judicem vel sunt sub eadem præfectura eodemque
 territorio, Obrecht. hîc th. 270. Unde etiam ille qui in diversis
 Præfecturis habet domicilia, habetur ubique pro præsentem,
 licet ibi non habitet. Dn. D. Harpp. ad princ. Inst. h. t. n. 131.
 Quòd si verò aliquis partim præsentem partim absens fuerit,
 juris est, ut decennio completo tot anni addantur, quot is,
 contra quem præscribitur, absens fuit Authen. quod si qui-
 busdam C. de longi temp. præscript. Novell. 119. c. 8. Absentes
 verò accipe, qui in diversis provinciis vel territoriis habitant,
 vel qui secundùm DD. in d. l. ult. C. de præf. long. temp. hodie
 diversum habent judicem; etiam si res, cui præscribitur, sub
 uno sita sit d. l. fin. Immobilium rerum nomine continen-
 tur etiam incorporales, licet enim verè res immobiles non
 sint, jure tamen immobilium hoc in passu censentur l. 2. C. de
 servit. & aq. l. 12. in fin. C. de præf. long. temp. Huc pertinent
 quoque operæ hominum, quæ Dynastis præstantur à rusticis,
 Dinst vnd Fröhen / welche die Bawern zu den Ritter-
 vnd



1956

und Herrenquittern leisten müssen. *Gebhard. de Usuc. c. 3. §. 2.*
(c) *n. 40.* (c) Reliqua Jura & res tum publicæ tum privatæ, quæ
longi temporis præscriptione non includuntur, 30. vel 40.
annorum nec non immemoriali præscriptioni subjacent.
l. 4. & seqq. C. de præscript. 30. vel 40. ann. Præscriptio verò
30. ann. jure Dig. plane fuit incognita secundum *Gl. in l. 30.*
ad L. Aquil. Schneid. Inst. de Usucap. n. 11. Treutl. Vol. 2. Diss. 22.
tb. 4. lit. k. & jure Codicis demum introducta & prodita.
Cujac. 18. obs. 26.

Thes. III.

Causa est Lex duodecim tab. (a) quæ
tamen postea variis Constitutionibus aucta
(b) & emendata est (c)

(a) (a) Origo Usucapionis cui Juri sit adscribenda Dd. in-
ter se non conveniunt. Quidam enim referunt eam ad Jus Gent.
cum etiam apud alios populos in usu fuerit, ut de Hæbreis
sacræ docent literæ *Levit. 25. v. 10.* ut & de Græcis testatur *Pe-
trus Heigius part. 1. quæst. 16. n. 2.* Quidam verò ad Jus Civile,
maxime propter continuationem titulorum & seriem metho-
di §. *ult. Inst. de usu & habit. & princ. Inst. de Usuc. ibi: Jure Ci-
vili constitutum.* Sed alii mediam viam tutissimam esse pu-
tantes §. *fin. Inst. qui & ex quib. caus. man. non poss.* distin-
gvunt inter originem Usucapionis & ejusdem informationē,
quasi illa dependeat ex Jure Gentium, hæc verò Juris Civilis
sit *Obrecht. diss. 26. de Usucap. tb. 55.* quòd etiam nobis, dum-
modo in suo genere Usucapio consideretur, non prorsus dis-
plicet. Nam Jura nostra usucapiones renovâsse, explicas-
se & in multis emendasse satis constat *ex t. t. Inst. & ff. de*
usucap. uti quoq; ex l. un. C. de Usucap. transf. Unde sequitur,
quod & ante Romanos extiterit, cum aliàs informari non
potuisset, quia nullius entis nulla sunt accidentia, & omnis
privatio præsupponit habitum *arg. l. manumissiones 4. ff. de*
Just. & Jur. Haut itaque Usucapio rectæ rationi aut juri na-
turæ repugnat: nam quamvis hoc non permittat, ut
cum

cum alterius damno & injuria fiat locupletior *l. jure natura*
206. ff. de R. J. l. nam hoc natura 14. ff. de condict. indeb. Id quod
 prima fronte videtur fieri in Usucapione, ubi contra volun-
 tatem domini res ipsius ad alium quodammodo transfertur:
 Non tamen propterea usucapio juri naturæ contraria est, sed
 magis ei consentanea, siquidem illud postulat, ut quod
 Reipublicæ bono est, hoc præ cæteris inspiciatur, licet pri-
 vato forte incommodum adferat, cum utilitas publica pri-
 vatæ semper sit præferenda, *l. un. §. 14. C. de Cad. tollend. l. 3.*
C. de primipil. Jam verò nullum dubium, quin usucapio bo-
 no publico introducta sit, ne scilicet dominia rerum diu
 in incerto manerent, *l. 1. ff. de usurp. & usucap. & ut aliquis*
finis esset litium, quas abbreviari & sopiri Reipublicæ inter-
est, quin dominus potiùs, qui post illud tempus peteret rem,
afficeret possessorem detrimento, hoc est, jactura rei vel æsti-
mationis *Donell. 5. Comm. 30. Dn. Arumæus disp. Inst. 6. th. 1.*
in fin. & posito, quod sentiat damnum aliquod hîc dominus,
illud tamen sentire non videtur, quia culpa sua sentit *l. quod*
quis 203. ff. de R. J. cum jura vigilantibus non dormientibus
scripta sint, adeoque non stultis & res suas negligentibus, sed
necessitate impeditis, occurrant *l. pupillus 24. in fin. ff. de his*
qui in fraud. credit. neque etiam putandum, hîc aliquid fieri
contra voluntatem Domini, sed ex legis interpretatione ipse
rem alienare videtur. *l. alienationis 28. ff. de V. S. neque pro-*
bare licet, hanc voluntatem dominum non habuisse,
cum de ea, lex disponat, quæ non permittit probationem in
contrarium. *l. 23 C. ad Sætum Vellei. l. fin. C. de arbit. tutel.*
 (b) *l. omnes 4. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* (c) *l. un. C. de* (b)
nudo Jure Quirit. toll. l. un. C. de usucap. transf. (c)

Theſ. IV.

Subjectum sunt omnes, qui dominium
 acquirere & possidere possunt (a) etiam filii
 fam. (b) item pupilli (c) non autem furiosi (d).

(a) Quia usucapere est rerum dominium acquirere per (a)
 usum & possessionem, uti satis & abundè evincit definitio
 Usu-

- Usucapionis in d. l. 3. ff. de usucap. & 25. eod. Cujusmodi sunt Cives Romani, non servi, nam cum ipsi possideantur, possidere non videntur, l. 4. §. 4. ff. d. t. & l. 148. ff. de R. J. (b) Maximè castrensia & quasi castrensia peculia d. l. 4. §. 1. ff. hoc tit. quia in his pro patribusfam. habentur l. 6. §. fin. ff. de injust. rupt. & irrit. testam. eademque sibi possidere & acquirere
- (c) possunt plenò Jure §. 1. Inst. per quas pers. cuiq; acquir. (c) etiam absque autoritate tutoris, modo animum habeant possidendi d. l. 4. §. pupillus 2. ff. de usucap. Infantes autem non aliter, quam si tutoris autoritas interveniat, acquirere & usucapere possunt per l. 32. §. infans. ff. de acquir. poss. (d) Qui ne quidem curatore autore usucapere possunt, arg. l. 1. §. 3. ff. de acquir. possess. juncta l. 5. ff. de R. J. eò quòd mens ipsis profus adempta sit l. 40. ff. de R. J. Sed si usucapionem ante furorem semel coeperint, furor postea superveniens eam non interrumpit, l. 44. §. 6. ff. de Usurp. & Usuc.

Thes. V.

Objectum sunt omnes (a) res corporales (b) & incorporales (c) mobiles & immobiles (d) quæ in patrimonio nostro esse (e) ac proinde possideri & usucapi queunt, nisi specialiter prohibeantur (f)

- (a) Quæ scilicet ad usucapiendum sunt idoneæ §. 1. & 2.
 (b) Inst. b. t. (b) princ. Inst. de Usucap. & sanè hæ primariò l. usucapionem 9. ff. b. t. (c) Quæ in Jure consistunt, hoc est, quæ sub jure tanquam suo genere comprehenduntur, unde etiam Jura nominantur t. t. Inst. de reb. corporal. & incorporal. l. 1. §. 1. ff. de R. D. quales sunt servitutes, quæ similiter usu diuturno & longa quasi possessione rectè acquiruntur l. si quis 10. ff. si serv. vind. l. 1. §. fin. ff. de aqua & aqua. l. 5. §. 3. de itin. act. uq; priv. l. ult. circa fin. in verbis eodem observando. C. de prescript. longi temp. l. 1. & 2. C. de serv. & aqua nullo habito cum DD. discrimine inter servitutes continuas vel discontinuas, cum
 omnes

omnes servitutes perpetuam & continuam causam habere debeant *l. 28. ff. de servit. urb. præd.* Nobilissimus & Consultissimus Dn. D. Ludwellus, Professor in Academ. Aldorfina famigeratissimus *Disp. ad Inst. 5. th. 7. lit. f.* Licet enim servitutes olim propter legem Scriboniam usucapi non possent *l. 4. §. ul. l. si aliena 10. §. hoc ff. b. t.* cum in servitutes vera non cadat possessio *l. si ades mea 32. §. libertas in fin. ff. de serv. urb. præd.* sine qua tamen non procedit usucapio *l. sine 25. ff. b. t.* utilitatis tamen causa postea quasi usucapi ceperunt longâ consuetudine & usu i. e. quasi possessione *l. 1. §. deniq. 23. vers. sicut enim de aq. & aq. plu. arcend.* ut proinde non tantum immemoriali tempore *l. 3. §. 4. de aq. quot.* sed etiam diuturno usu *d. l. 10. ff. si serv. vind.* i. e. decennio vel vicennio acquisitæ fuerint. *Donell. ii. Comm. ii in fin.* donec Justinianus unam fermè præscriptionis & usucapionis naturam constituit *l. un. C. de usuc. transf.* In his autem non semper & necessariò requiritur titulus, sed nonnunquam patientia & scientia domini sufficit, utpote quæ pro traditione habetur *l. quoties 20. de servit.* & propterea æquè ac ipsa traditio possessionem inducit *l. 1. §. traditio. 2. de serv. rust. præd.* hinc ubi cum titulo usucapitur servitus, ibi scientiam domini non requirimus: ubi verò cum scientia & patientia domini, ibi titulo haud opus est, ut si cui, bonâ fide, cum eum dominum esse existimaret, ex legati, donationis vel alia qualibet justa causa esset constituta servitus à prædii possessore, isque eadem per longum tempus usus esset, tunc utique eam ulucepisse dicendum est, non obstante ignorantia domini, cum hic scientia illius requiri nequeat *l. fin. in fin. C. de præscript. longi temporis.* Rursus si quis longo tempore non vi non clam non precaciò ab eò qui prædii servientis dominus erat, servitute usus est, ad acquisitionem hanc scientia & patientia domini, utpote per quam possessio quærat *l. 3. in princ. ff. de usuf. l. 6. §. 1. si serv. vind.* opus est, nõ titulo. Nam si titulus adesset, cõtinuò servitus esset quæsitæ, nec opus foret usucapione, atque ideò scientia domini & patientia tot annorum justam adfert probationem servitutis. *d. l. si quis diuturno 10. ff. si serv. vind.*

B

(d)

- (d) (d) *princ. Inst. b. t. l. un. C. de Usucap. transf. & ibidem Cujac.*
- (e) (e) Res enim quæ usucapi debent, in commercio hominum, sint, oportet, puta ita comparatæ, ut dominio nostro subjici possint. *Myns. Inst. b. t. §. 1. n. 3.* Sunt autem quædam res Commercio & usibus humanis exemptæ, uti liber homo *l. 23. §. 2. l. 30. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess. l. usucapionem 9. ff. b. t. l. scientis 6. C. de ingenuis.* Res sacræ, religiosæ, sanctæ *§. 7. Inst. de rer. divis. l. 6. in princ. de contrab. empt.* in tantum ut contra hujusmodi res nulla ullo tempore currat præscriptio: nam quia sunt juris divini *l. 6. §. 2. ff. de rer. divis.* nulla eis poterit objici præscriptio. *Wesenb. parat ff. de usucap. n. 10.*
- (f) (f) Sunt enim nonnullæ res lege speciali munitæ, ita ut in illis cesset usucapio; sic respectu imperfectæ ætatis in rebus pupillorū & minorū cessat, nam cum hæ sine decreto indistinctè alienari nō possint *t. t. ff. de reb. eorū qui sub tutela,* consequenter etiam nec usucapi queunt, *arg. l. ubi lex 24. ff. de usucap. l. bonæ 48. in princ. ff. de A. R. D.* quia usucapio est species alienationis *l. alienationis ff. de V. S.* id quod in tantum verum est, ut in rebus pupillaribus præscriptio prorsus currat nulla *d. l. bonæ pr. de A. R. D.* sive sit longi temporis *l. non est incognitum 3. C. quib. non objicitur long. temp. præscript. sive longissimi l. sicut 3. ibi. sed pupillari ætate duntaxat C. de præscript. 30. vel 40. annor.* neque incipiat neque cœpta continetur, sed durante ætate pupillari omnis omninò præscriptio dormiat atque cesset *Wesenb. in parat. de Usuc. n. 14. Trent. part. 2. disp. 22. th. 3. lit. g.* Secus tamen paululum est in rebus minorum, contra quos currit præscriptio 30. annor. *Wesenb. par. d. l.* Ex iisdem rationibus nec filiorumfam. qui adhuc in sacris paternis sunt, bona adventitia, nec furiosi nec prodigi bona usucapi possunt *l. 1. §. fin. C. de annal. except.* Sic etiam intuitu & interventu impedimenti cujusdam legitimi, agendi facultatem planè impediens & adimentis, cessat similiter & dormit usucapio, quæ scilicet semel inchoata fuit, id quod fit secundum Dd. tempore belli *Wesenb. in parat. de Usucap. n. 14.* tempore pestis, si nempe tanta sit ut jus omninò non reddatur; tempore absentia Reip. causa *l. 4. C. quibus non objicitur*

tur

tur long. temp. præscript. tempore captivitatis ab hostibus l. 6. d. t. quamvis his casibus per restitutionem in Integrum succurri, verius videatur, *d. l. 6.* Et quotiescunque propter defectum Judicis vel rei non potest reddi jus, dummodò probet actor, se voluisse agere sed non potuisse. Quòd si verò præscriptio ante justum impedimentum currere cœperit, illud tempus præterlapsum non planè tollitur, sed sublatis impedimenti & tempore impedimenti durantis, cum sequente continuatur uti volunt quidem Dd. *ad l. 5. de usuc.* Sic etiam res fisci usucapi non possunt *§. res fisci 9. Inst. h. t. l. quamvis 18. ff. de usuc.* huic scilicet acquisitæ. Nondum enim Fisco acquisitæ vel nunciatæ putà bona vacantia usucapi queunt, *d. §. res fisci. Inst. h. t.* Quamvis si quis rem alienam à Fisco emptam habeat, statim tutus & securus existat, ita tamen ut dominus adversus Fiscum intra quadriennium agere possit, *§. fin. Inst. h. t.* uti nec res dotales *l. lex 4. l. si fundum 16. ff. de fundo dotali. Cuj. 14. observ. 9.* nisi præscriptio sit cœpta, anteq̃ ures fuerit facta dotalis *d. l. 16.* De rebus furtivis etiã dubium non est, quin usucapi non possint *§. furtivæ Inst. h. t. l. sciens l. C. de usucap. pro empt.* nisi vitium fuerit purgatum, quod fit, re in ejus potestatem, cui surrepta fuit, reversâ, siquidem prior dominus semper ejus rei dominus manet, quapropter alius ejusdem rei dominus per usum effici nequit, cum duo ejusdem rei in solidum domini esse nequeant per vulg. Hic verò non levis sed ardua exoritur quæstio inter Dd. de partu ancillæ furtivæ, an usucapi possit? quod affirmat Scævola in *l. 10. §. 2. ff. de Usucap.* negare tamen videtur *Ulpianus in l. 4. §. 15. de Usucap. & l. quivas. 48. §. ancilla ff. de furtis.* Sed rem sub distinctione expediri posse cum *Donell. lib. 5. Comm. cap. 25.* statuimus: Aut enim ancilla prægnans fuit surrepta & peperit apud furem vel ejus heredem & non potest usucapi partus *l. ancilla 12. C. de furt. & serv. corrupt.* Aut non prægnans fuit surrepta, sed concepit apud furem, peperit verò apud bonæ fidei possessorem & nec hoc casu usucapio obtinet *l. quivas 48. §. ancilla ff. d. furt. l. pen ff. de statu hom. aut.* concepit & peperit apud bonæ fidei possessorem & procedit

usucapio per d. l. 10. §. 2. ff. h. t. l. 48. §. ancilla ff. de furtis l. 3. C. de usucap. pro empt. Et hanc distinctionem Magnificum, Nobilissimum & Amplissimum Dn. Presidem Patronum ac Præceptorum meum atatem devenerandum in suo Collegio Wesenbeciano tradidisse in memoria adhuc teneo. In foetu pecudis furtivæ diversum est, ita ut à fure quidem hic foetus usucapi nequeat, tanquam accessorium rei princ. bonæ fidei tamen possessori statim acquiratur, postquam editus est l. 4 §. 19. ff. h. t. ut non opus habeat usucapione; non enim potest dominum semel acquisitum denuò acquiri l. non ut 159. ff. de R. J. cùm in fructu sit foetus §. in pecudum 38. Inst. de R. D. l. 28. ff. de usuc. l. 48. §. 2. ff. de Acquir. ver. dom. Hujus generis porrò sunt res vi possessæ d. §. furtivæ 2. Inst. h. t. l. non solum 33. §. si dominus 2. ff. h. t. l. si ad dominum 86. ff. de furtis. Similiter res contra legem Juliam repetundarum Proconsuli vel Prætori donatæ l. quod contra 8. ff. ad L. J. repet. Sic etiam res meræ facultatis vel voluntatis usucapioni non sunt obnoxia l. viam publicam 2. ff. de via publ. & itin, cujus ratio inter alias hæc assignari solet, quod ex actibus merè voluntariis possessio vel quasi acquiri non possit, Magnificus & famigeratissimus Jctus Dn. Erasmus Ungepauerus, Facultatis Juridicæ & Scabinatus in hac Salana Ordinarius Eminentissimus Dn. Præceptor ac Patronus summa honoris observantia prosequendus in Exerc. Justin. Diss. 7. q. 4. in Ajo. Cùm tamen sine possessione vel quasi usucapio subsistere nequeat l. 25. ff. de Usurp. & Usucap. dummodò non intervenerit prohibitio, & illi qui meram habuerunt facultatem & voluntatem, in illa prohibitione acquieverint per tempus ad præscribendum sufficiens. Hanc ob causam qui molendinum reædificare volens, prohibitus reædificando destitit per legitimum tempus, postea molendinum reædificare non potest, ut & subditi qui alibi molare vel panes coquere vel uvas exprimere prohibiti sunt, si prohibitioni acquieverunt. Borcholt. tr. de Regal. n. 37. Huc quoque quæstio illa tum intricatissima tum utilissima referri potest. An scilicet pacto de retrovendendo generaliter factò, ut quancumq; redimere liceat, 30. annis præscribi possit? Etsi verò multi hoc affir-

affir-

affirmant, negativa tamen veritati magis consentanea videntur, cui & nos adhaeremus moti, arg. l. quod si nolit. 31. §. si quid ita venierit. 22. vers. si verò convenerit ff. de Aedilit. Edict. l. si fundum. 2. C. de pactis inter empt. & vend. Magnificus Dn. Ordinarius d. loc in fin. Quae sententia etiam in Camera Imperiali recepta est, uti testatur Gail. 2. obs. 18. Myns. cent. 1. obs. 16.

Thef. VI.

Forma seu modus usucapionis consistit in eo, ut civilis rei possessio (a) tempore legitimo continetur (b) ad quam potissimum requiruntur bona fides (c) & titulus (d)

(a) Utpote causa eius proxima l. 25. ff. de Usucap. Treut. Vol. 2. disp. 22. th. 5. lit. a. possessionis enim vis & effectus in Usucapionibus potissimum elucescit, qua sine fieri nequit, ut procedat usucapio, adeo ut juxta vulgatum illud, non intelligatur plus usucaptum esse, quam possessum est. l. justo errore 44. §. fin. ff. de Usurp. & Usuc. Unde si Nobilis per legitimum tempus pavit mille oves in alieno fundo, & sic jus pascendi praescripsit, licet postea crescat ovium numerus, non tamen servitus ex eo augetur, ut ultra praedictum numerum plures ibi oves pascere liceat arg. l. 1. §. Trebatius 18. ff. de aq. cotid. Schneid. de serv. rust. praed. n. 31. Possessio verò est vel naturalis vel Civilis l. 2. §. quod vulgò ff. pro hered. l. 1. §. de jectur ff. de vi & vi armata illa ad usucapionem nihil facit l. pen. C. de praescript. 30. vel 40. annor. ast haec eam ipsam producit sive sit naturalis & civilis simul sive civilis tantum l. 2. ff. pro hered. Vult. Jurispr. Rom. c. 71. Est autem possessio talis nil aliud quam detentio l. 1. pr. ff. de acquir. possess. opinione domini l. 22. de noxal. act. cogitatione domini l. pen. vers. cum igitur C. de furt. vel Jure domini l. 15. §. 33. de damn. infect. nec tantum rerum corporalium sed etiam incorporalium est, l. si quis 10. ff. si servit. vindic. l. ait Praetor. 23. §. 2. ff. ex quibus caus. major. siquidem haec quoque res usucapioni obnoxiae

1964

- (b) sunt *supra* *tb. 5. lit. c. dictum* (b) Non enim sufficit, *ut* quis possederit rem, sed oportet simul possessionem esse continuatam non interruptam §. *diutina 12. Inst. de Usucap. l. 3. ff. b. t. l. 2. C. de præscript. longi temp.* per legitimum tempus *d. l. 3. ff. de Usucap.* Dicitur autem possessio continua non ea solum, quæ penes unum & eundem semper permanet, sed etiam quæ ab uno ad alium legitime translata est, quo in casu diversa tempora & possessiones personarum conjunguntur *l. possessio 20. ff. de Usucap. l. Pomponius 13. §. questum 4. ff. de acquir. possess.* quæ accessio possessionum consistit in sola æquitate ut inquit *J. C. Scævola in l. de accessionibus 14. princ. ff. de divers. & temp. præscript.* Si enim jus strictum & rigorem Juris spectamus, non potest hujusmodi possessionis continuatio & translatio in aliam personam fieri, quoniam possessio aliena fieri non potest nostra; quandoquidem possessio non est res, quæ possit in aliquem transferri, ut quæ sit in facto & detentione posita, factique magis quam Juris *l. 1. §. si vir. ff. de acquir. possess.* Quamvis dicendum hic potius videatur, non tam possessionem ipsam quam jus potius ex possessione quæsitum transferri. Hæc verò possessio continuatur tam in bonæ fidei possessoribus *l. pro emptore 2. §. fin. ff. pro emptore.* quam in iis quoque qui malam fidem habent, modo antecessores rem bona fide possederint, nec tantum in successoribus per universitatem, *l. 23. ff. de acquir. possess.* sed etiam rerum singularium, §. *inter 8. Inst. de Usucap. (c) princ. Inst. de Usucap. l. longi temporis 2. C. de præscript. longi tempor.* sine qua omnis possessio improba juxta, *Donell. 5. Comm. 7.* & per consequens quoque usucapio: Nam bona fides non primario & immediate, uti *Dd.* quidem autumant, de usucapione & præscriptione prædicatur, sed secundario & mediate, respectu nempe possessionis vel quasi, cujus duæ sunt species & affectiones bonæ scilicet & malæ fidei possessio, adeo ut hic sine possessione bona vel mala fides adesse non intelligatur. Interim tamen mala fides non semper & simpli-

pliciter est rei alienæ scientia, quòd velle videtur
Treut. Vol. 2. Diss. 22. th. 6. lit. a sed scientia injustæ pos-
 sessionis pro subjecta hâc usucapionis materia secundum
Cujac. ad d. l. Nam alienandi potestas non solùm com-
 petit veris dominis, sed etiam aliis, ut tutoribus & pro-
 curatoribus §. *nunc admonendi 2. Inst. quib. alien. licet vel*
non. Ab his qui rem sibi comparavit, bonæ fidei non
 malæ fidei est possessor, quos tamen novit dominos non
 esse, sed rei alienandæ saltem potestatem habere arbitra-
 tur. Requiritur porrò bona fides secundùm diversa diver-
 simode: Et quidem de Jure Civili sufficit ab initio inter-
 venisse bonam fidem, nec mala fides superveniens semper
 nocet *l. 48. §. in contrarium ff. de acquir. dom. l. un. C. de*
Usucap. transf. At de Jure Canonico possessor malæ fidei
 nullò tempore præscribit *c. possessor de R. J. in 6. c. veniens*
vers. fin. extra de præscript. quod obtinet non solùm in lon-
 gi temporis præscriptione 10. vel 20. annor. sed etiam in
 præscriptionibus longissimi temporis: Ita quoque de Ju-
 re Saxon. tam in annali quàm in tricennali præscriptione
 bona fides exigitur. *LandRecht lib. 2. art. 18. & art. 26.*
 Nec minus requiritur ut sine vitio acquisita sit possessio,
 ad quod opus est titulo justo, *Wesenb. in parat. de Usucap.*
n. 11. qui est justa causa, arg. l. nullo 24. C. de rei vind.
 habilis & idonea ad transferendum dominium & per-
 quam inducitur legitimum possessionis initium *l. 3. §. ge-*
nera 21. ff. de acquir. possess. Hinc error falsæ causæ usuca-
 pionem non parit §. *error 11. Inst. h. t. nisi justa sublit erro-*
ris causa l. ult. ff. pro suo l. quod vulgo 11. ff. pro empt. An
 verò sui pro hærede usucapere possint, inter Dd. non satis
 constat, quod nos affirmamus cum *Duaren. ad tit. de liber.*
& posth. c. 3. & Cujac. ad l. pen. ff. pro hærede in verbis filium,
 nec quiequam in contrarium facit *l. 2. C. de Usucap. pro hæred.*
 non enim dicitur ibi quasi à suis nihil possit usucapi, sed suis
 existentibus nihil posse usucapi, non quidem à filio, sed ab
 extraneo; qui contra filium eundemque suum hæredem,
 rem hæreditariam pro hærede usucapere desiderat.

Th. VII.

Finis est bonum publicum, ut nimirum constituatur certitudo dominorum & terminus litium & discordiarum existat. (a) Effectus præcipuus est plenum dominium (b) actio (c) & exceptio (d)

- (a) (a) *princ. Inst. h. t. l. 1. ff. b. t. l. fin. ff. pro suo Wesenb. in parat. hic n. 13. Donell. 5. Comm. 30. ne possessores rerum amittendarum metu semper & in perpetuum torquerentur l. 7.*
- (b) *princ. C. de præscript. 30. annor. (b) l. 3. ff. b. t. l. 20. C. de pactis. Quod in rebus mobilibus expeditum est; in immobilibus vero utile duntaxat dominium acquiri quidam volunt Gl. ad d. princ. Inst. b. t. Sed veriùs est, in his quoque verum acquiri d. pr. l. 20. C. de pactis. Vult. ad hunc tit. n. 47. Wesenb. in parat. ff. n. 14. Fachin. 1. contr. 70.* (c) Quia usucapione dominium acquiritur d. l. 3. ff. de usurp. & Usucap. Domino verò datur rei vindicatio l. 9. ff. de rei vind. igitur & illi qui rem usucepit. Nondum verò completa usucapione datur Publiciana §. namq. 4. Inst. de Action. (d) l. 1. pro donato, quæ exceptio est litis finitæ, hoc est, talis quæ non solum actionem perimit & litem finit, sed etiam impedit litis ingressum vel litis contestationem Dd. ad l. fin. ff. pro suo. Sed tantum pro instituti ratione & temporis angustia!



Florida præclari soboles Köchlere parentis
 Et nostræ dudum portio nota schola.
 Laude quòd in stratam tandem descendis arenam
 Ingenii ut viris, experiare tui.
 Hæc ratione sagax renovas instigia patris
 Olim qui fortis me duce miles erat.
 Hinc capies usum, fructum capisq; benignum
 Qui tibi quiq; aliis commoda mille ferat.
 O Utinam huc tendat tecum Studiosa virum vis!
 Sic posset cunctis certa venire salus.

Johan. Major D.

Us, Usucapio, quod nec Prescriptio tollat
 Naturale, pias nec violet Charites.
 Tradis discursu docto KÖCHLERE colende,
 Amplexis veris, dejiciens spuria:
 Non etenim propriis privari rebus iniquum
 Hunc, qui præscribi res patitur proprias.
 Imputet ipse sibi, se non vigilasse, supinam
 Ob culpam amittit res merito proprias.
 Mittite Pierides Cultori præmia vestro,
 Convenit en capiti florida Laurus HUIC.

l. 14. ff. de
 condict.
 indebiti.

l. 28. ff. de
 u. s.

Cap. 86. de
 Reg. Jur.
 in 6to.

Eximio atq; eruditissimo Dn. Köchlero com-
 mensali suo svavissimo & contubernali
 amicissimo gratulabundus apposuit

Christophorus Schwartz/ Mulhusinus.

C

Marte

1968

MArtereportatur crudeli gloria magna,
Gloria, sed major Juris ab Arte venit.
Illum gloria justa manet, nomenq; manebit,
Ingenii vires prodere qui potis est.
Hoc bene perpendit, Jena dum pulpita scandit
Autor, jam doctis bella duella moyens,
Res usucaptas KÖCHLERUS discutit arte,
Perdoctum specimen non sine laude nova.
Eja age sacratas leges sic volve revolve,
Ut fias patrii lumen honorq; soli.

Hoc
Præstantissimo Dno Respon-
denti, consalino suo per-
charo adponebat

Paulus Hauschild.

TUne Usucapio quid sit monstrare cupiscis?
Sic est; perductis differis ecce modis!
Ardua, crede mihi, res est KÖCHLERE suavis
Arduus est ausus tale subire jugum:
Perge, Tibi Charites cantabunt carmina perge,
O quondam patrii non leve nomen agri!

Præstantissimo atq; Literatissimo Dno
Respondenti, Consalino & Fautori
suo dilecto

εὐφροσύνας ἐβένα ἄππον.

Johan-Andreas Ockel Hall.Sax.

Das Schwitzen Lob empfäht/solch's ihustu / werther/zeigen;
Was deine heisse Müß/ dein stetes fleißig seyn
Erlangt/ bricht ist herfür/ gibt einen hellen Schein.
Fahr fort/ so wird dein Ruhm die Sterne noch erreichen.

Mit diesen wenigen solte seines Ge-
ehrten H. Schwagers vnd Brüder-
lichen Freundes ersuchen genug thun

Andreas Steiner.
Auffert

Auffert cuiq; suum PRÆSCRIPTIO sæpè nolenti:
Ergò injusta foret, dicunt, Minus approbat Isthæc
Köchlerus doctus: privatis publica pollent.
Ergò age, quei *Themidis* conatus adire theatrum,
Imponet tandem Ipsa Tibi (Tua dona) Coronam!

*Ita animitus Dno Commen-
sali grat.*

Caspar - Elias Denhart.
Numb, Misn.

F I N I S.

1970

Impone tandem tibi (Tua dona) Coronam
Rigore quod tibi concesserit testatur
A. Ego in illa foret, dicitur, Alina approbat illa
Uffert ceterum formam TRASCRIPTIO tibi molestis

In nomine Dni Amen
Sic gnt.

Cass. - Elias Densart.
Numb. Min.

F I N I S




1017


ULB Halle 3
003 007 09X



80







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

CO JURIDICA

O JURIDICA

APPIO.
BUS,

lam.

S. TRIADIS.

*magnifici Nobilissimi & Amplis-
sime florentissima LL. Nu-
meraria.*

ESIDE

ILLISSIMO, AMPLISSIMO
LTISSIMO.

H. WILHELMO

ratissimo, Aulæ Vinar.

Professore Publico celeberrimo,
Cabinatus & Facultatis Juridicæ
Præceptore ac Promotore
observantiâ æta-
lendo.

mini subjicit

US KÖCHLERUS,

nuring.

o Jctorum

Decemb.

BLAS I LOBENSTEINS,
OC. XLV.

1951 10
1645, 3

